

GIRALDI CAMBRENSIS

TOPOGRAPHIA HIBERNICA,

ET

EXPUGNATIO HIBERNICA.

EDITED

BY

JAMES F. DIMOCK, M.A.,

RECTOR OF BARNBÜRGH, YORKSHIRE.

PUBLISHED BY THE AUTHORITY OF THE LORDS COMMISSIONERS OF HER MAJESTY'S
TREASURY, UNDER THE DIRECTION OF THE MASTER OF THE ROLLS.

LONDON:
LONGMANS, GREEN, READER, AND DYER.

1867.

Britonum Aurelius Ambrosius, divina Merlini diligentia, de Hibernia in Britanniam advehi procuravit. Et ut tanti facinoris egregium¹ aliquod memoriale relinqueret, eodem ordine et arte qua prius in loco constituit, ubi occultis Saxonum cultris Britanniae flos cecidit, et sub pacis obtentu nequitiae telis male tuta regni juventus occubuit.

[CAP. XIX.]

De mirabilibus nostri temporis. Et primo, de lupo cum sacerdote loquente.

Nunc ea, quae nostris hic temporibus digna stupore contigerunt, explicemus.

Circa triennium ante adventum domini² Johannis in Hiberniam, contigit quendam presbyterum, de partibus Ultoniae versus Mediam itinerantem, in silva quadam conjuncta Mediae pernoctasse. Cumque ad igniculum, quem sibi sub arbore quadam frondosa con-gesserat, uno tantum comitatus puerulo lucubrasset, ecce lupo ad eos accedens, qui et statim in hujusmodi verba prorupit; "Securi estote, et nolite timere; non enim trepidandum vobis est, ubi timor non est." Cumque ipsi tanto vehementius consternatis animis obstupissent, verba de Deo sana subjunxit. Et obtestatus a sacerdote, adjuratusque per Deum omnipotentem, et per fidem Trinitatis, ne eis noceret, et quenam creatura fuisset,³ quae sub bestiali forma humana verba proferret, catholicum in omnibus responsum praebens, tandem tamen subjecit;

¹ A leaf is lost here in Ba, which contained "egregium &c." down to "statim ut ipsum" at beginning of fifth section of next chapter.

² domini] M. C. Bb. A. R. B. F.;

comitis, Cl. Hb. Rb. This adventure of the priest with the wolves was in 1182 or 83. *Expug. Hibern.* ii. 23.

³ fuisset] C. Bb. A. R., &c.; esset, M.

“De quodam hominum genere sumus Ossiriensium.
 “Unde, quolibet septennio, per imprecationem sancti
 “cujusdam, Natalis scilicet abbatis, duo, videlicet mas
 “et femina, tam a formis quam finibus exulare co-
 “guntur. Formam enim humanam prorsus exuentes,
 “induunt lupinam. Completo vero septennii spatio,
 “si forte superstites fuerint, aliis duobus ipsorum loco
 “simili conditione subrogatis, ad pristinam redeunt
 “tam patriam quam naturam.

The wo-
 man-wolf
 grievously
 sick.

“Et mihi quidem peregrinationis hujus socia non
 “procul hinc graviter infirmatur. Cui, si placet, jam
 “in extremis agenti, sacerdotale solatium intuitu di-
 “vinæ pietatis indulgeas.” Quo dicto, lupum præce-
 dentem usque ad arborem quandam satis propinquam
 presbyter sequitur tremebundus. In cujus concavitate
 lupam conspicit, sub specie ferina gemitus et planctus
 humanos emittentem.

Quæ statim ut ipsum vidit, præmittens salutationem
 satis humanam, gratias etiam Deo retulit, quod in tali
 articulo tanto eam solatio dignatus esset.

The priest
 administers
 the last
 sacred rites
 of the
 church to
 her.

Et sic usque ad extremam communionem a sacerdote
 cuncta rite peracta suscepit: quam¹ et ipsa constanter
 efflagitans, attentius supplicavit ut viatici largitione
 beneficium consummaret.

Quo sacerdos cum se carere firmiter asseruisset,
 lupus qui parumper abscesserat iterum accessit, osten-
 dens ei perulam, librum manuum et aliquot hostias
 consecratas continentem; quæ more patriæ presbyter
 itinerans [sub indumento]² a collo suspensa deferebat.
 Rogabat etiam ne Dei donum et subsidium, eis divina
 providentia destinatum, aliquatenus denegaret. Et ut
 omnem abstergeret dubietatem, pede quasi pro manu
 fungens, pellem totam a capite lupæ retrahens, usque

¹ quam] M. C. Bb. A. Ba., &c.; | Bb. A. R. B. F. In Ba. Cl. Hb.
 quem, R. B. F. | Rb.

² sub indumento] Not in M. C.

ad umbilicum replicavit: et statim expressa forma vetulæ cujusdam apparuit. Quo viso, tandem sacerdos obnixè postulantem et devote suscipientem, terrore tamen magis quam ratione compulsus, communicavit. Et statim pellis, a lupo retracta, priori se formæ coaptavit.

His ergo rite potius quam recte peractis, humanam magis quam bestialem societatem eis ad igniculum nocte tota lupo exhibuit. Mane vero facto, extra silvam ipsos conducens, presbyteroque præbens iter,¹ viam ei certissimam longe² præostendit. Multas etiam sacerdoti super impenso beneficio gratias in discessu referebat; promittens efficaciores multo se gratias ei relaturum, si Dominus ipsum³ ab hoc exilio, cujus jam duas partes compleverat, revocaverit.

Inter⁴ ultima vero confabulationis hujus verba, quæ-
 sivit presbyter a lupo utrum gens inimica, quæ in in-
 sulam supervenerat olim, foret diu⁵ in ea permansura.
 Cui lupo: "Propter peccata," inquit, "populi nostri,
 " et vitiorum enormitates, ira Dei descendens in
 " generationem pravam, dedit eam in manus inimi-
 " corum. Quamdiu ergo gens ea mandata Domini
 " custodierit, et in viis ejus ambulaverit, tuta manebit
 " et inconvulsa. Sin autem, quia proclivis est cursus
 " ad voluptates, et imitatrix natura vitiorum, ad nos-
 " tros ex convictu mores forte descenderint,⁶ divinam
 " in se quoque proculdubio vindictam provocabunt."

[Similem⁷ quoque sententiam in Levitico reperies; Domino ad populum Israeliticum loquente in hunc

¹ *presbytero præbens iter*] This not in M., which has also "viam eis," instead of "viam ei."

² *longe*] M. C. Bb. A. Ba., &c. Not in R. B. F.

³ *ipsum*] M. A. R. B. F.; eum, C. Bb. Ba., &c.

⁴ *Inter provocabunt*] This section not in M. C. Bb. A. B. In

margin of R. In text of F. Ba., &c.

⁵ *diu*] Ba. and F. (as altered); diuque, R. Cl., &c.

⁶ *descenderint*] R. F. Ba.; condescenderint, Cl. Rb.

⁷ *Similem . . . dolos*] This section not in M. C. Bb. A. R. B. F. In Ba. Cl. Hb. Rb.

Lev. xviii. 27, 28. modum : "Omnes execrationes istas," prædictas scilicet, " fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos, et " polluerunt eam. Cavete ergo, ne et vos similiter " evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem " quæ fuit ante vos." Totum hoc autem postmodum contigit eis, primo per Chaldæos, et postea per Romanos. Item et in Ecclesiastico : "Regnum a gente in " gentem transfertur, propter injustitias, et injurias, et " contumelias, et diversos dolos."]

Giraldus himself consulted by the bishop and synod about this action of the priest. 18 b. Biennio fere post elapso, contigit me per Mediam transitum fecisse, ubi episcopus terræ illius synodum tunc forte convocaverat; episcopos etiam et abbates vicinos acciverat, ut super hac re, quam ex sacerdotis confessione jam didicerat, quid agendum ei foret communicato consilio certius instrueretur. Audiens ergo me per partes illas transire, duos mihi de clericis suis transmisit, rogans ut tanto negotio tractando in propria persona, si fieri posset, interesssem; sin autem de assensu meo literis saltem eos certificarem. Audito ergo ab illis seriatim negotio, quod et prius tamen ab aliis audieram, quia causis quibusdam urgentibus adesse non poteram, literarum beneficio consilio quidem absens non fui. Cui et episcopus cum synodo obtemperans, sacerdotem ipsum, cum literis suis rem gestam et sacerdotis confessionem continentibus, appositis etiam episcoporum et abbatum qui intererant sigillis, ad summum pontificem destinavit.

His counsel followed, and the priest sent to the pope.

Non itaque¹ discredendum, sed potius fide certissima est amplectendum, divinam naturam pro mundi salute humanam naturam assumpsisse; cum hic, solo Dei nutu, ad declarandam sui potentiam et vindictam, non minori miraculo humana natura² lupinam assumpserit.³

¹ *Non itaque, &c.*] Rest of this chapter not in M. Bb., nor originally in C. The section, "Non itaque . . . assumpserit," not in C. A. B. In margin of R. In text of F. Ba., &c.

² *humana natura*] Ba. Cl., &c.; humanam naturam, R. F.

³ *assumpserit*] R. F. Ba. Rb.; assumpsit, Cl.

Sed¹ animal hujusmodi brutum an homo dicetur? Was this Animal namque rationale a bruto longe alienum esse creature videtur. Præterea animal quadrupes, pronum in terram, man or nec risibile, humanæ naturæ quis adjunget? Item, brute? qui hoc animal occiderit, nunquid homicida dicetur? Sed miracula divina sunt admiranda, non in rationem humanæ disputationis trahenda.

Augustinus¹ tamen, xvi^o. libro *De Civitate Dei*, ubi De Civ. de monstruosis hominum generibus quos oriens parit Dei, xvi. 8. quæstionem movet; quorum quidam caninis capitibus, alii vero capite carentes oculos in armis habere dicuntur, et variis deformati formis; utrum a primo parente propagati revera homines dicendi sint, tandem subjungit; Idem de istis sentiendum, quod et de monstruosis hominum partibus, quos fieri persæpe videmus. Et quicquid hominis definitionem, animal scilicet rationale mortale, sub quacunque forma recipit, illud hominem esse vera ratione testatur.

Idem, in xviii^o. libro *De Civitate Dei*, refert de Ibid. xviii. Archadibus, "qui sorte ducti transnatabant quoddam¹⁷.
 " stagnum atque ibi convertebantur in lupos, et cum
 " similibus feris per illius regionis deserta vivebant.
 " Si autem carne non vescerentur humana, rursus
 " post novem annos, renatato stagno, reformabantur in
 " homines." Cumque ibidem de variis hominum in
 lupos mutationibus sermonem produxerit, demum sub-
 nectit; "Nam et nos, cum essemus in Italia, audie- Ibid. xviii.
 " bamus talia de quadam regione illarum partium;¹⁸.
 " ubi stabularias mulieres, imbutas his malis artibus,
 " in caseo dare solere dicebant viatoribus, unde in
 " jumenta illico verterentur, et necessaria quæque por-
 " tarent, postque perfuncta opera iterum ad se redi-
 " rent: nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed

¹ Sed . . . trahenda] This section in margin of C. In text of A. R., &c. This first quotation from St. Augustine is only in brief substance.

² Augustinus, &c.] Hence to end

“rationalem humanamque servari. Sicut Apuleius, in
 “libris quos *Asini Aurei* titulo inscripsit, sibi ipsi
 “refert accidisse, ut accepto veneno, humano animo
 “permanente, asinus fieret.”

Magical producers of phantom red pigs, seen by Giraldus. Nostris quoque temporibus quosdam vidimus, qui, magicis artibus imbuti, pingues ut videbatur porcos, sed tantum rubros, ex quacunque præjacente materia producentes, in nundinis vendebant. Sed hi statim ut aquam aliquam transibant evanescentes, in propriam et veram revertebantur naturam. Quantalibet autem¹ industria servatis, assumpta species ultra triduum non durabat.

Witches, in the form of hares, sucking cows. Item, vetulas quasdam, tam in Wallia quam Hibernia et Scotia, se in leporinam transmutare formam, ut adulterina sub specie ubera sugendo, lac alienum occultius surripiant, vetus quidem et adhuc frequens querela est.

De Civ. Dei, xviii. 18. 19. Dæmones igitur seu malos homines sicut nec creare, ita nec naturas veraciter mutare posse, simul cum Augustino sentimus. Sed specietenus, quæ a vero Deo creata sunt, ipso permittente, commutant; ut scilicet videantur esse quod non sunt; sensibus hominum mira illusionem captis et sopitis, quatinus res non videant² sicut se habent, sed ad falsas quasdam et fictitias videndum formas, vi phantasmatis seu magicæ incantationis, mirabiliter abstrahantur.

Sed omnipotentem Deum, sicut naturas creare, sic et easdem cum voluerit in se invicem permutare, seu vindicando, seu divinam potentiam declarando, vel unam in alteram penitus transferre, sicut uxoris Loth contra dominicum præceptum respicientis in statuum salis, sicut etiam aquæ in vinum mutatione, vel interiore manente natura solum exterius transformare, sicut in propositis patet exemplis, potentissimum esse, et indubitata veritate credendum.

¹ *autem*] C. A. Ba., &c. Not in | ² *videant*] A. R. B., &c.; vide-
 R. B. F. | antur, C.

De illa vero speciali panis in corpus Christi mutatione, nec speciali tamen, immo verius substantiali, quia specie tota manente substantia sola mutatur, hic prætereundum tutius existimavi. Quoniam supra humanam longe intelligentiam alta nimis et ardua est ejus complexio.

[CAP. XX.]

*De muliere barbata, et in tergo cristata.*¹

Duvenaldus, rex Limericensis, mulierem habebat The woman with the beard and mane. umbilico tenus barbatam. Quæ et cristam habuit a collo superius per spinam deorsum, in modum pulli annui, crine vestitam.

Mulier ista, duplici prodigio monstruosa, non hermaphrodita tamen, sed alias muliebri natura tantum emollita, ad intuentium tam risum quam stuporem, curiam assidue sequebatur.

In spinæ quidem pilositate, neutri; in barbæ vero prolixitate, morem gerens patriæ non naturæ.

[Nostris² quoque diebus visa est in Connactia curiam The half-bearded woman. sequens³ mulier, utriusque sexus naturam præferens, et hermaphrodita. Quæ barbam a dextris per labri utriusque et menti medium, more virili, densam nimis⁴ et longam habebat; faciem vero sinistram, cum labri et menti parte, muliebriter planam, et omni pilositate carentem.]

¹ *cristata*] M. C. Bb. A. Ba., &c.; jubata, R. B. F. To this heading is added in Ba., "Necnon et alia quædam hermaphrodita, et cum barba bipartita." This first woman is mentioned in the *Expug. Hibern.* i. 11 (end), under A.D. 1169.

² *Nostris, &c.*] This section not in M. C. Bb. A. R. B. F. In Ba. Cl. Hb. Rb.

³ *sequens*] Ba. Cl. Rb.; assidue frequens, Hb.

⁴ *nimis*] Ba. Hb. Rb. Not in Cl.